

existimant, quamdiu illis cupiditatibus fruuntur. Sed necesse est, ut publice declaretur, eiusmodi commercium carnale extra statum matrimonii, in oculis Dei esse criminale: Sanctus enim Paulus nobis praecipit Hebr. XIII. v. 4. *Honorabile coniugium sit in omnibus & torus impollutus; scortatores & adulteros iudicabit Deus.* Illud infidelium principium non solum religioni, sed etiam statui publico est noxium. Per indulgentiam enim impudicitia radices agit, et plures iuvenes nobiles & ad praeclara natos eneruat, ad generosas & laudabiles actiones ineptos reddit, impeditque, ne ad officia praeclara & gloriam adscendant, quam naturae donis consequi potuissent. Reliquos iuvenes impudicitia reddit ad professiones incapaces, qui tandem conscientia remota in furta, latrocinia, nefariaque scelera ruunt.

4) In maioribus ciuitatibus, in quibus librorum & mercium sunt commercia, verbi ministri imprimis vigilant, ne incredulitatis dogmata propagentur. In istis locis plerumque incredulitatis principia disseminantur, ab aliis recipiuntur, & in alias vrbes transferuntur. Consultum ergo videtur, vt non solum pastores urbani, sed & vicini, coniunctis viribus, sermonibus & scriptis imminencia infidelitatis principia examinent, damnum eorum & falsitatem ostendant, & solidis rationibus refutent.

5.) Viris quoque in auctoritate constitutis & Christianae religioni sincere addictis indicanda est pernicies, quae ex incredulitatis principiis redundat in ecclesiam & rempublicam; qui rectius informati consiliis, monitis & exemplis suis aduersariis illis resistent, & dubitantes in veram viam reducent.

Spem